

que sibi afferere. Arae deinde constructae sunt, ubi exscensionem fecerat Jovi descensori, Minervaque & Herculi: eo quoque loco, unde ex Europa solverat, Aras extrui iussit. Supplem. d. cap. 3. Justin. d. addit: E navi conspecta Asia, incredibili ardore mentis accensus, duodecim aras Deorum in belli vota statuit. Ita securus, fidesque somnio, visione ductoris Genij; ut patrimonium prius distribueret inter amicos, secum portans, ut dicitur, Spes suas. Plutarch. d. & Marcell. lib. 25. cap. 14. Prius quia inventi Macedones juxta vota, ad Dium Macedoniae urbem Jovi Olympio sacrum fecit, Musis quoque ludos scenicos per novem dies pro numero Dearum: post haec convivium summam magnificentiam, aliaque animi festivi signa ostensa. Diodor. d. cap. 16. Quare solvisse dicitur summa pectoris alacritate memor felicitum omnium in gloriosissimam expeditionem: etenim cum Delphos abiisset Numen consultum de eventu, & Pythoniassa, quia nefastus dies, ire ad tripodem nollet; vi ad templum traxit, ut oraculum ederet: ibique illa protulit: *Vicisti fili, invictus es.* Plutarch. d. quod quidem pro omine accipiens, laetus discessit. Tunc expeditionem adorienti vulgatum, simulacrum Orphei cupressinum per istos dies multo sudore fluxisse. Quo signo omnibus territis; Aristander, bono esse animo iussit; quippe tanta facturus Alexander, ut poetae in illis decantandis sudarent. *Ibid.* & Orosius lib. 3. cap. 16. In transitu Protefilai inferias dedit, precatus Numina, ut melioribus auspicijs hostile littus tangeret. Suppl. lib. 2. cap. 2. Inde apulit, posteroque die processit in campos; ubi Troja fuit.

7 Apud Posidoniatas in Tyrrenico sinu ludicrum & fatuissimum agebatur lamentum, ex quo risus. Conveniebant cuncti, memoriamque faciebant nominam, gestorum, consuetudinum antiquarum, Graecam signantes patriam; deplorabantque mutuo praesentem sortem, & silentes abibant. Meurs. lib. 5. Graec. fer. & Athenaeus, lib. 14. cap. 7. In Elide statuam collocata Philippo Amyntae, eiusque filio, Magno Alexandro. K. G. Meminit Pausanias, cap. 188. & de alijs eidem dicatis, dicit cap. 8. Post Aegyptios vero Reges: Aegyptijs Regibus ad veronoris monumentum, tanquam bene de se meritis, premia sunt constituta: Philippo vero & Alexandro adulatione potius multitudinis. Utrumque definit Justinus, Histor. lib. 8. Philippus inter rapinas quotidianas, semper inops erat. misericordia in eo & perfidia pari jure dilecte: nulla apud eum turpis ratio vincendi, blandus

Jovi & Musis sacrum factum.

Sudat statua Orphei.

Lamentum visibile.

Statua Alexandro & patri.

pariter & insidiosus; qui amicitias utilitate, non fide colebat. Alexander & virtute & vitijs patre maior. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram ille vincere, huic nec dilatio ultionis, nec modus erat, &c.

8 Inter Aegyptios Accipitrum oblatio Horo. K. A. Multa de accipitribus videris apud Plin. lib. 10. cap. 8. singularia, quod claudi altero pede, & corda avium non edant: fuisse de his Ulyss. Aldrovand. 1. de Avib. lib. 4. Conrad. Gesner. lib. 3. 4. Plutarch. de Isid. & Osirid. oculis insepulorum volitando inijcere terram. Quid per illos signari hieroglyphice apud Aegyptios, dicit Pier. Valerian. lib. 21. describitque late cum imaginibus & signis, Kircher. in Obelisc. Pamp. lib. 4. hierogrammatism. 10. In Lateranens. cap. 4. §. 2. In Flamminio, cap. 4. §. 1. In Helipolitana. cap. 4. & in Mensa Isiac. cap. 5. division. 2. Hinc modo exponitur accipiter tutulatus, modo pedibus in serpentina spiras abeuntibus; nunc horridus aspidem & draconem referens, nunc ex homine & accipitre compositum monstrum; jam ex accipitre & serpente, ex figura Canopi capite accipitrino; jam ferina facie ac plumoso capite, modo extensis alis, in quarum medio globus; modo denique cristata velut tiara, aut mitra sacerdotali conspicitur insignitus: quod totum sub imagine umbratica Osiridis in naturam dirigitur Solis. Cum Apolline iccirco convenientiam habere ajunt; quod de avibus soli accipitres semper nullo negotio adversos Solis radios intuentur, neque intentis oculis sursum versus, ut suscipere gravantur, nec divina flamma offenduntur: Os tibia illorum si ad aurum admoveatur (an ideo claudicant?) sic ipsum illecebra quadam mirabili ad se allicit; quemadmodum Heracleotem lapidem sua vi praedicant, quasi prestigijs & captionibus ferrum ad se attrahere. Ita Alian. 10. Histor. Animal. cap. 14. Astruit etiam ex Plinio Kircher. in Pamp. loc. cit. subdens: *Apud Arabes ex ossibus accipitris ignem elici, aurumque attrahi scriptum invenit.* Mirum prorsus, quod Joann. Ravif. Textor in Praefat. Cornucop. refert. *Si auro liquefcenti (infus) gallinarum membra misceantur, consumunt illud in se: ita hoc venenum auri est.* Sumpsit ex Plin. lib. 29. cap. 4.

Virisq; apodosis.

Oblatio accipitrum.

Conditiones eorum.

Hieroglyphica.

Ossa auri magnes.

Auri venenum quid?



DIES XII. JANUAR.

Prid. Id. 1 Grad. 22. Solis in Capricorno, qui felix juxta Dariotum, sed juxta Maternum, qui sub illo natus crudeliter lacerabitur a bestijs. Incerti caeli status. Columell. Auster spirat. Ptolom. Dimidius Cancer vesperè oritur. K. P. R. Canis Minor vesperè oritur. Junctinus K. A. Vir ligone terram fodiens. Sphaer. Arab. Levita Ephrataeus cum cadavere uxoris perveniens in Gader, dividit in duodecim portiones, quas mittit in omnes terminos Israël ad singulas tribus. Judic. 19. 26. Vide diem 23. à n. 4. Mors Antiochi in templo Nanea. R. Abrah. ex 2. Machab. 1. 13. Nonnulli intelligunt de Antiocho IV. Epiphane; sed arbitror intelligendum de VII. cognomine Sideris, id est, Pij, ob reverentiam religionis Judaicae, de quo Josephus, 13. Antiq. cap. 16. Membratum enim disceptus fuit à Sacerdotibus Nanea, seu Dianae, cujus donaria & thesauros expilare cupiebat. Adrichom. Ann. 3832. Briet. Ann. 3925. Belarmin. de Verbo Dei, lib. 2. cap. 15. Sanctius & Serar. loc. cit. Machab. De Epiphane dicitur, 1. Machab. 6. à v. 3. *Audivit esse civitatem Elimaidem in Perside nobilissimam & copiosam in argento & auro, templumque in ea locuples valde & illic velamina aurea & lorica & scuta, qua reliquit Alexander Philippi, Rex Macedo: & venit & querebat capere civitatem & depraedari eam, & non potuit; quoniam innovuit sermo his qui erant in civitate, & insurrexerunt in praelium & fugit inde, & abiit cum tristitia magna, & reversus est in Babyloniann.* Liquer, Epiphane non perisse in hujusmodi factione; igitur iteratum ejus fuga, 2. Machab. 9. à 1. Quare consonum est, cogitare utriusque expilationis conamen, sed diverso eventu: quandoquidem Epiphanes fuga liber evasit, & Sideres cum socijs intra templum miserimè cecidit; uti dicitur 2. Machab. 1. à 12. Vide Joseph. d. lib. 12. cap. 13. Pererium in Daniel. 8. 25. & diem 6. Maij n. 11. Alij dicunt occisum Antioch. Magnum, patrem Epiphane. Ad 5. Octobr. n. 8.

Mors Antiochi Sideris.

Antilogia.

Auri venenum quid?

Maozim Deus.

Osee, 12. 8. dicit Ephraim: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Maozim sonat fortitudinem ac potentiam, seu munitionem, ut vertunt Hieronym. & Aquila: quod quidem favet cogitationi: quippequam pecunia obediunt omnia. Eccl. 10. 19. Omnia enim vincuntur, dum ex auro conficitur armamentum. Favent Profani. Senec. in Thyest. v. 603. Horat. 2. Satyr. 3. à v. 94. & 3. Carm. Od. 16. à v. 9. Petron. Epigram. 33. Juvenal. Satyr. 1. v. 112. de quo nos fuisse Tom. 6. T. 3. a n. 23. Placet Nancam fuisse Venerem, distam Anaitem (quo epitheto etiam plausa Diana, ut dicemus 29. August.) cujus simulacrum erexit & dedicavit Artaxerxes Ochi filius, in Saceis, festo instituto à Cyro, de quo 17. August. Venusque tunc celebrata nomine Veneris Babylonicæ. Causa tituli & divitiarum in templo fuerunt continua supra foeminarum, ibi in hujusmodi ministerio Veneri Anaitidi servientium. De illa Gyrard. Synagm. 1. n. 106. qui Synagm. 13. n. 6. subdit: *Ei Dea Antiquos dedicasse puellas qua ibi prostarent: deinde veluti sacra viris tradebantur, eas accipientibus hilarè maritis, sicut de Lydis prodit Herodorus, lib. 1. Argumentum illustrabimus tum loc. cit. tum Tom. 6. T. 10. à n. 14. Vide congesta plura apud Serar. d. quaestione. 7. Colligitur etiam ex eo quod de Antiocho dicitur, Daniel. 11. 37. *Erit in concupiscentijs foeminarum.* Unde autumat Maluend. 8. de Anti-Christ. cap. 14. nomen Maozim ab Ez, quod Caper: qua de causa Veneris imago caprae infidebat, indicans petulantiam. Chartar. in Vener. fol. 345. ubi ex Apulejo profanam ejus imaginem exponit, lib. 10. Metamorph. n. 157. *Erat illa (inquit) pulcherrimi aspectus, coloris suavis atque jucundi & nuda ferè suam venustatem demonstrabat; nam perenni velo operata, membra non operiebat, sed potius adumbrabat. Corpus candidum, ita ut calidus cecidisse diceret: velum caeruleum maris instar, unde ea nata, quam lascivi Amores praecedebant, faces praeserentes. Veneris quoque latera hinc Graecia, illinc Horè claudabant; qua florens fertis voluptatum Deam adornare videbatur.* Anno 31. Christi, hic dies sextus Jejunij ejus.*

Que Dea Nanea?

Imago.

Dies VI. Jejunij Christi.

Compitalia.

Ludi Compitalij.

3 Romæ Compitalia. V. K. Arbitror per Compitalia intelligi ludos Compitalitios; igitur de festo, die 2. Maij. Dies Comitalis erat. Ludi sumpti ex Graecis in honorem Bacchi instituti: causam signat Hygin. lib. 2. fabul. 5. ubi: *Liber Pater dicitur Icaro vinum & vitem & vnam tradidisse: qui cum sevisset vitem & diligentissime administrando floridam falce fecisset; dicitur*

hircus in vineam se coniecisse, & qua ibi tennerrima folia videret, decerpisse. Quo facto Icarium animo irato tulisse, eumque interfecisse, & ex pelle ejus utrem fecisse, ac vento plenum praligasse, & in medium projecisse, suosque sodales circa eum saltare coegisse. Describit originem & ludos Virgil. 2. Georgic. à v. 380.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Caditur, & veteres incunt proscenia ludis.

Premiaque ingentes pagos, & compita circum Theſeide posuere; atque inter pocula leri Mollibus in pratis unctos saltare per utres.

Virgil.

Necnon Ansonij Troja gens missa, coloni Versibus incomptis ludunt, risuque solutos Oraque corticibus sumum horrenda cavatis, Et te Bacche canunt per carmina leta, tibi que Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Ascolia.

Apud Græcos dicebantur Ascolia, de quibus Natal. Com. Uvres inflatos ventoque plenos (ait, 5. Mytholog. cap. 13.) humi deponentes altero pede insiliebant, atque super his ferebantur: tum sepius labentes in terram decidebant, faciebantque id in honorem Dionysij, quoniam uter pellis est hirci, qui pampinos vitium comedens illis obest plurimum. Præmium victoris erat hircus. Alex. Neapolit. lib. 6. cap. 19. Alter à Meursio in Græc. fer. fol. 52. Non vento (inquit) sed vino plenus uter, & unctus foris: qui ita insilisset, ut subsisteret; premium ferebat, utrem scilicet. Vide Jul. Scaliger. 1. Poetic. cap. 28. Servium & La-Zerd. in loc. cit. Virgil. Gyrard. Dialog. 4. & Synagm. 17. n. 51. Bulenger. de Ludis Veter. cap. 23. Pier. Valer. lib. 10. cap. 4. & Eustach. in Odyss. 10. Homer. cum Rhodigin. lib. 5. cap. 4. Hujusmodi ludo aliter jocabatur Heliogabalus: etenim ut in eo refert Ælius Lamprid. Amicis (ait) pro accubitis folles sternerat, eosque reſabat prandentibus illis, ut ut plerumque subito sub mensis invenirentur.

Unde orta & ritus?

4 Inſtituti in pagis hujusmodi ludi ante Urbem conditam à rusticis pagorum, vel ante Urbem signatam, ut placet Scaligero, ubi dudum, qui per vicorum magistratos fieri & in compitis celebrari debebant: Alex. ab Alex. d. Unde Anton. Edyl. 26. iuccinit, quasi de conceptivis:

Aufon.

Et nunquam cerris redeuntia festa diebus, Compita per vicos quum sua quisque colit. Intermisſi fiere usque ad Servium Tullium: at cum nefas eſſet ludorum solemniam intermittere, haud per magistratos vicorum, sed per præfectos L. Pifo magno apparatu revocare curavit. Aſcon. Pedian. ad Oration. Cicer. in Pison. & Rosin. lib. 5. cap. 20. Meminit ludorum Sueton. in

August. cap. 31. Deinde Bacchi statua (subdi-Natal. d.) cum carminibus inconcinne, ebriorum more compositis, patrio idiomate singularum nationum, circumferebatur circa vineas; quæ res plurimum ad fertilitatem conferre putabatur: atque hi, qui ista faciebant, personas sumebant è corticibus arborum & vini face aliquando perungebantur, ne cognosci possent; quia multa ridicula, multa parum decora, multa turpia & pudore plena dicebant, quæ sine personis dicere omnino putasset. Deinde vineis lustratis, ad altare Bacchi redeunt, sacras victimas in lancibus offerebant & comburebant: deinde aliſſimis arboribus imagines quasdam modo ficitiles, modo ligneas Baccho sacras, & illi similes appendebant, quas à parvitate oris dicebant Oscilla, ut longissimè possent prospici, quia vineis conferre putabantur. Videntur enim quasi fascini adhibita, maximè si verum est ithyphallos fuisse. Mercurial. lib. 3. Gymnaſt. cap. 10. & Leopard. lib. 6. Emendat. cap. 14. Singulariter cogitat La-Zerd. d. num. 24. subdens: Pensiles quasdam gestationes de arboribus, in quibus per lusum jactabantur, quæ jactatio dicta est Oscillatio, quæ se miris homines alternis motibus & levabant & deprimebant. Hispan. Columpio, de quo Bulenger. de Ludis veter. & Nos 27. April. & Isagog. Jul. n. 15. Ita ergo Brumalia Bacchi peragebantur, sic dicta à tempore, non à Baccho Brumo, ut somniat Natalis Comes, d.

5 E Græcis sumpta hujusmodi sacra cum ludis: liquet ex Pausania, cap. 252. ubi: Arcadici in Olympia signum Jovis possuere, fulmen utraque manu preferens (Vide 7. Martij.) Liberi Patris templum habent, in quo festos dies anni summa hyeme agitant, adipe peruncti: sublatum humeris è grege taurum, quem ipse Deus ut deligerent, in mentem venire voluisset, ad templum deportant. Hoc solemne ipsis est sacrum. Ibi fons pregelide aquæ, quem adumbrat platanus contra rabiem, vulnus, aut quamlibet noxam. E re ipsa fontem Alyſon nominant, quod per ipsum ſedetur rabies. Eodem die Romæ porticus Pauli Æmilij tota deſtagrat flammâ extensa Vestæ utque templum, factis per Vestales in domum flaminis Dialis aſportatis. Halicarnas. lib. 8. cap. 31. Cum templum Vestæ arderet Cæcilius (alij Lucius) Metellus Pontifex Max. ex incendio sacra rapuit. Liv. lib. 19. Hinc instituta sacra Vestalia, de quibus, 6. Mart. 20. & 9. Jun. Addit Briet. V. C. Ann. 513. Tiberis inundans hoc anno affixit Urbem: secutum mox incendium, quo sevicente in eadem Vestæ Incius Metellus Pontifex Max. Palladium eripuit,

Fompa Bacchi.

Quid Oscilla?

Oscilla que & oscillatio?

Brumalia Bacchi.

Imago Jovis Vespovis.

Brumalia Bacchi Græca.

Fons Alyſon.

Templum Vestæ ardet.

Metellus tunc orbis incunat.

puir, sed inter flammarum vortices oculos amiserit; ante præmonitus à duobus corvis, ut rediret in Urbem. Vir insignis fuit, ut videbimus loc. cit. constat ex triumpho, & parte de Poenis, XIII. ducibus hostium & CXX. elephantis in eo ductis. Liv. ibid. Plin. meminit, lib. 18. cap. 3. & lib. 8. cap. 6. dicit elephantis fuisse CXLII. Ad veritatem historiarum bis templum Vestæ flagravat: primum ann. Urb. Cond. 513. tuncque Metellus Palladium ab incendio liberavit. Denud tempore Augusti, anno V. C. 740. ex incendio porticus Æmilij Pauli, quam refecerunt magnificè, ut ex igne splendidior evaserit. Briet. hic.

Ejus triumphus.

Nymphæa.

6 Apud Oetam, quo monte incensus Hercules, sacra Nymphæa, in honore Dryopes, conversæ in lotum (de quo latè Ovid. 9. Metam. à fab. 7.) inſtituta à filio Amphio. Meurs. Græc. fer. Raph. Reginus, Luctat. & Jacob. Pontan. loc. Ovid. cit. Amphifus, inter Meſſenos dictus fuit per matrem (quia dixerat: Latet hoc in stipite mater) Dryops, habitusque filius Apollinis. Hinc apud illos Apollinis unum, Dryopis alterum simulacrum religiosissimè in templis collocatum, ait Pausan. cap. 145. Sacra quotannis Dryopi peragunt, eumque Apollinis filium fuisse dicunt. Innuit Ovid. d. canens:

Sacra Dryopi.

Ovid.

Natiſſima formâ Oechalidum Dryope, quam virginitate carentem Vimque Dei passam Delphos, Delonque tenentis.

Molon.

Dicta ergo Nymphæa, quoniam quotannis Nymphæ circum lotum ludabant, ac floribus, & tænijs ornabant. De ritu diximus Tom. 6. T. 1. n. 54. In Creta festum Molon. K. G. refert Plutarch. de oracul. defect. ubi inquit: In Creta diu versatus, cognovi festum celebrari, quo effigiem hominis, capite truncam ostendunt: memorantque hunc fuisse Merionis patrem (de quo Homer. 2. Iliad. v. 646. inter Duces Græcos, & cujus sagitta arca, ut ait Pausan. cap. 84.) qui virgini per vim oblato ſupro, truncato repertus est capite. Longè articulus Baptiſtæ. Hinc nescio quo entusiasmo addit: Hæc non Deorum, sed demonum sunt casus & fortune.

Gesta Alexandri in Ilio.

7 Alexander Magnus, Helleſponto trajecto, in campos, ubi veteris Ilij ſedes, procedit. Ibi oblatam illi Paridis Iyram, excutit: Achilli inferias facit currens nudus coram tumulo, cui coronam imponit. Tunc, ut refert Ælian. lib. 12. Var. Histor. cap. 7, postquam ſepulchrum coronavit, Hephæſtion Patrocli monumentum altius erexit; ſignificans se tanto amore Alexandrum proſequi, quanto Patroclus Achillem: at ille erat amicus Regis, non Alexandri, cujus infania nonnunquam blandiebatur. Deinde Alexander Heroibus parentat, & Priamo ad Hercij Jovis aram ſacrificat. Minervæ, quam præcipuâ religione venerabatur, studioſè ſacrum facit, & ſuſpenſis in templo armis suis, alia detrahit, quæ à Trojani belli temporibus duraviſſe credebatur. Hæc ab armigeris præferri juſſit, tanquam à proprio Numine ad ſubigendam Aſiam commodata: hiſque indutum ferunt ad Granicum (de quo 21. Maij) cum Darij Satrapis decertaſſe. Plutarch. in eo, Juſtin. lib. 11. & Supplem. Curt. lib. 2. cap. 4. Aliud præter armorum, digrediens à Minervæ delubro; omen habuit: ſcilicet, Ariobarzanis, Phrygiæ quondam Satrapæ, ante fanum effigiem humi proſtratum: unde auxilij Numinum ſpes, maximè à Minerva, in cujus ſani limine hoſtis proſtratus. Diodor. Sicul. lib. 17. n. 18. & Arrian. lib. 1. cap. 4. & lib. 6. cap. 4. Poſt arma dedicavit Æſculapio, tanquam ſalutis principi. In delubro ſignum (ait Pausan. cap. 260.) impuberis Dei & Hygiæ. Tradunt populares, ab Alexandro Philippi filio, Lorica & haſtam in Æſculapij honorem dedicatam. Meâ certe etiam armâ arate, lorica & haſta cuspis ibi cernuntur. Dedicacionis armorum (quæ apud Indos in Cyropoli) cauſam dicemus 26. Mart. n. 14.

8 Inter Ægyptios sacra Chamo sub titulo Saturni, quem adorarunt etiam Perſæ, fugientem Noëmi patris faciem, sub nomine Zoroaſtris. Eum inter homines hujus dogmatis (id est, qui Magiam exercere) ſecuti fuerunt Ægyptij; qui ſibi illum Saturnum, inter Deos adoleſcentiorem fecerunt, & civitatem illi poſuerunt, dictam Chem Min: inquit Berof. lib. 3. Antiq. quod argumentum ſuſe ſequitur Joann. Annius. Cham filius Noë, primus inter homines idololatria diſſeminator & qui in mundo teleſmarum artem & magiam introduxit, ob quas & Zoroaſtres & Adris propheta dictus eſt, quaſi diceret ſiguram, ſeu ſimulacrum ſideris, vel ignem ubique lucentem. Abeneph. in Hiſtor. Arab. Zoroaſtres, lingua Aramea Stella vivens dicitur, vel formans idola ignis abſconditi, ſimulacra rerum ſecretarum. Idem de Hiſtor. ſacr. Ægyptior. Quare Gregor. Turonenſ. 1. de Franc. hiſtor. cap. 5. inquit: Statuam adorandam ſtatuit: ſtellas & ignem de celo labi magicis artibus ei adſcribunt: vocatusque eſt, cum ad Perſas tranſiſſet, Zoroaſtres, quod Stellam viventem interpretantur. Idem Boiſſard. in Apollonio Tyaneo, & ſuſe Kircher. in Obeliſc. Pamph. lib. 1. cap. 2.

Minervæ dedicat arma & alia è templo ſumit.

Omina.

Post Aſia imperium, arma dicat Æſculapio.

Sacra Chamo.

Zoroaſtres quis?

Unde nomen *Ignis Illi*, quia fulmine afflatus, ut ait Suidas, & Clemens Rom. 4. *Recognit. fol. 57.* vel quia signatus Saturni stella, ut ait R. Ben-Gorion, lib. 1. cap. 2. Hinc fax ad illud Amos, 5. 26. *Tabernaculum Moloch, sidus Dei vestri*: & Act. 7. 43. *Sidus Dei vestri Rempham*, qui Saturnus, titulo Moloch, vel Melchon, in cuius statuæ fronte, juxta Occumen. hic, erat pretiosa ac pellucida gemma adinstar sideris refulgentis. Latè describam 25. Septembr. 4. in Templo Samaritano. Zoroastres primus templum Mythræ dedicavit, de quo 19. Decembr. à n. 13. Nonnunquam secutus est malum genium; igitur ante cataclysmum & post, magiam exercuit. Ex astris scintillas quasdam carmine magico elicere studens (sicut Romæ Tullius Hostilius, de quo, 10. Septembr. n. 5.) à demone succensus est, & interfectus. Nihilominus ejus discipuli Deorum amicum crediderunt, asserueruntque vehiculo fulminis in calum fuisse sublatum: corpus ejus in Assyria conditum est: prædixerat enim Assyrijs, tandiù eos orbi terrarum cum summo imperio principaturos, quandiù suos cineres & reliquias integras & inviolatas conservarent. Hactenus Boiffardus, d. Vide Justinum lib. 1. dicentem, occisum fuisse à Nino. Idem Diodor. Sicul. lib. 1. n. 66. Hieronym. in Osee, 2. 16. & Augustin. 21. Civ. cap. 14. Magum insignem, & primum in arte dicunt Plutarch. d. *Isid.* & *Osirid.* Apulejus Apolog. 1. & 2. Floridor. Cedren. in *Annalib.* fol. 13. Marcellin. lib. 23. cap. 22. & Plin. lib. 11. cap. 42. qui lib. 7. cap. 16. quem sequitur Augustin. quò suprà, asserit. *Risisse eo die quo genitus esset: eidem cerebrum ita palpasse, ut impostam repelleret manum, futuro præfagio scientia.* In *Chronic.* Alexandr. pag. 89. legitur: Ex Chamì genere oriundus est Zoroastres ille nobilis Persarum Astronomus, qui morturiens precatus est, uti fulmine ictus interiret; Persisque denunciavit: *Ubi me caelestis ignis consumpserit; crematorum osium meorum cineres tollite & servate: nec regnum à vobis & hac regione tolletur, quandiù ossa mea custodieris.* Invocato ergo Orione (qui Nemerod, ut dicemus, 6. Maij, n. 7.) à caelesti flamma depastus inscripsit. *Persa quod ille imperaverat executi, reliquias cinerum illius hodèque custodiunt.* Idem Gyrard. 2. de *Poëtar. histor.* n. 1. & 16. ubi de illo fusè; additque ejus imaginem vario & peregrino habitu ornatam fuisse, scilicet Medo & Persico: quapropter *Persomedes* dictus.

9 Cui hæc contigerunt, non fuisse primum Zoroastrem, asserit Kircher in *Obelisc.*

Pamphil. d. sed Zoroastrem Pamphilium, seu Proconnetium. Ex Platone dicit Clemens Alexandr. 5. *Stromatum*, cap. 6. *Meminit* (ait) *Heri Armenij*, genere Pamphili, qui est Zoroastres. Hunc cum duodecimo die post mortem in rogo fuisset postus; Plato dicit revivisse. Verba Platonis de *Republ. lib. 10.* ita se habent: *Cum in praelio occubisset, sublati decimo die cadaveribus, jam planè corruptis; integer ipse incorrupto corpore reperiendus est: domumque delatus ut sepeliretur, duodecimà jam ab obitu die, dum pyra imponeretur, revixit. Ita rediivus, commemorabat ea, quæ viderat apud inferos.* Allegoricè exponit Clemens, quò dudum: moraliter Joann. Serran. hic, sed si historia, aut fabula, eruta prorsum ex *Ægyptiorum doctrina.* Ita in *Argument. lib. de Justo.* Historia multorum, qui elati revixere, refertur à Plinio, lib. 7. cap. 52. & Ravif. *Textor. 2. Officin. cap. 101.* quos videris. Etiam inter *Ægyptios hodie Mystera.* K. *Ægypt.* Refert sine ritu Herodot. lib. 2. n. 103. In lacu Minerva imagines suorum quisque affectuum noctù faciunt; quæ vocant *Ægyptij Mystera*: quo pacto se habeant singula, tamen absit, ut proloquar. *Adi Tom. 6. T. 9. D. 5. n. 18.*

DIES XIII. JANUAR.

1 G Radus 23. Solis in Capricorno. Qui si in horoscopo, facit gratia venustos, sed scenicos & pantomimos. Firmic. Dies putealis signatur à Darioto. *Media hyems. K. R. P. Astrum obscurum. Prima Mali pars occidit: nocte pluit.* Ptolom. *Umbilicus Pegasi manè oritur.* Junctin. K. A. *Occidit manè ala dextra corvi.* Alsted. *Encyclop. Vir feminam manu trahens.* Sph. Arab. *Ihmael nascitur.* R. Salomon. In Mecha servatur lapis, super quem genitus, de quo mirè delirant Mahumetani; uti dicemus 10. Septembr. n. 7. interim adi Kircher. in *Pantheon. Hebræor. cap. 16.* Saul postquam pridie liberaliter habitus à Samuele, nullo teste ungitur in Regem primum Israël. R. Abraham, ex 1. Reg. 10. Samuel in fidem certitudinis prædicat illi occursum virorum juxta sepulchrum Rachel, & aliorum ad quercum Thabor. Hebrai in illud, cap. 9. 19. *Omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi; inquit: Erat in corde Saul, quòd Rex futurus esset: quia viderat per visum, se in vertice arboris palma collocari.* Hieronym. in *Tradition. Hebr.* Sicut in 1. Paralip. 9. 39. *ibid.* dicitur: *Armigerum Saul Doeg fuisse,*

Quid Deus Rempham?

Zoroastres magus.

Zoroastres Pamphilus, quis?

Mystera Ægyptiorum.

I lib. Jan.

Ismael nascitur.

Lapis Agar.

Eligitur Saul in Regem.

& puerum, qui cum eo perrexerat ad requirendas *asinas.* Mortuo Aristobulo I. Januæum, alio nomine Alexandrum, quem ille in carcere vixerat; Salome vinculis solvit & Judæorum Regem constituit. R. Huic pessimi mores, maxime sanguinolentia per 27. annos. Invasit Gazam, quam vastavit & D. Senatores, qui ad templum Apollinis confugerant, jugulavit; postquam matrem & fratrem trucidaverat. Venientem excepit seditio, propter quam quia dixerant cives: *Animos tantum conciliabis morte: ostingentos crucifixit ex eis, in quorum conspectu conjuges & liberos interfici jusit, ipso cum pallacis convivente, ac ex edito loco tragœdiam conspiciente.* Joseph. lib. 13. à cap. 22. & 1. de Bell. à cap. 3. *Adrichom. Ann. 3859.* Sex tantum annis ex Judæis non minus quinquaginta millia interemit. *Petav. 1. p. Rationar. tempor. lib. 4. cap. 13.* A patre Hyrcano I. nonnunquam despectus. *Max natus* (ait Joseph. d. cap. 20.) *exosus patri factus, nec unquam dum ille viveret, in ejus conspectum admissus.* Ejus odij causam ferunt hanc. *Cum aliquando in somnis ei Deus apparuisset, rogavit de successore, sollicitus de Aristobulo & Antigono, quos præ cateris diligebat: sed cum Deus hujus effigiem designasset, contristatus, quòd is in omnes fortunas esset successurus, in Galilæa educari eum voluit; sed Oraculi fidem eventus approbavit.* Idem Briet. ab *Ann. 3951.* & *Torniel.* addit *Genebr. Ann. 3984.* cum regno accepisse conjugio Salomen, viduam fratris Aristobuli, & cruci affixisse (Sapientum virorum inimicum) *DCC. Pharisæos*, quia Sadduceus secta: qui in regno post tot cedes non Pontifex, sed postifex & popa Judæorum vocatus. *Ann. 31.* Christi, dies hic septimus ejus *jejunij.*

2 Romæ, Jovi Statori sacra. V. K. de his 27. Jun. Aptius *Idualia* sacra, vel *Idulia* in honorem Jovis, quia Junoni Kalendæ, Jovi Idus dicabantur: Nonæ verò sine Numine auspice erant, quousque exactis Regibus populus celebravit in memoriam Servij Tullij, ut diximus, die 5. n. 8. *Ovid. 1. Fast. à v. 55.*

*Ovid. Vindicat Ausonias Junonis cura Calendas, Idibus alba Jovi grandior agna cadit. Nonarum tutela Deo caret.* Ab ovis sacrificio, quæ *Idulis* dicta à Tuscis, nomen *Iduum* nonnulli derivant, ait *Macrob. 1. Saturnal. cap. 15.* sed *infit: Idus vocemus diem, quò dividit mensem: Iduare enim Hetruscà lingua, dividere est.* *Horat. 4. Carm. Od. 11. v. 14.*

*Horat. Idus tibi sunt agenda, Qui dies mensẽm Veneris marina*

Findit Aprilem.

Anton. Constantius hic, & Marfus, astruunt *Idus* dictas, quasi *Vidus*, à videndo, eò quòd tunc Luna plena videatur: nam cum Jupiter sit lucis auctor, unde vocatur *Lucertius*, aut *Diespiter*, rectè hi dies *Idus* dicuntur, cujus lux non finitur lucis occasu, propter plenilunium, quòd in medio mensis plerunquè fit. Omnibus Idibus in Arce sacra Jovi fiebant à sacerdotibus cum *Vestalibus* per viam sacram. *Turneb. 20. Advers. cap. 35.* Innuit Varro, 4. de *Ling. Lat. cap. 7.* *Oritur caput Sacra via* (inquit) *ab Strenia sacello, quæ pertinet in Arcem, quæ Sacra quotquot mensibus feruntur in Arcem, & per quam Augures ex Arce profecti solent inaugurare.* *Lævin. Torrent. Dionysius Lambin. & Gualter. Chabot.* signant in illud *Horat. 3. Carm. Od. 30. v. 8.*

Dum Capitolium

*Scander cum tacita virgine Pontifex.* Ovis, ut diximus, erat victima, & ex illa fiebat *albagalerus*, quo *Diales Flamines*, id est, Jovis sacerdotes, utebantur, cui affigebatur ut apex virgula oleaginea: de his ac illorum prerogativis, 20. *Mart. à n. 14.* Cunctis Idibus hostia ovis, non bos, uti scribit *Alex. Neapol. lib. 3. cap. 18.* sed in Januarij, victima erat *vervex.* *Ovid. d. v. 587.* *Idibus in Magni castus Jovis ade sacerdos Semimaris flammis viscera libat ovis.*

Erant enim sacra in aede Jovis *Capitolini.* Si spectaculis adessent, absidebant cum corona. De *Domitiano* ait in eo *Sueton. cap. 4.* *Quinquennale certamen insituit Capitolino Jovi. In stadio verò cursu etiam virgines. Cereræ ramini præfedit crepidatus, purpureæque amictus toga Germanica, capite gestans coronam cum effigie Jovis ac Junonis Minervæque; assidentibus Diali sacerdote & Collegio pari habitu, nisi quòd illorum coronis inerat & ipsius imago.*

3 Hac die *Tibicines* festum diem agere multa licentiâ & lasciviâ, & muliebri habitu per Urbem vagari solebant. *Alex. d.* Causa hujus indulgentiæ, seu insolentiæ, eò quòd quia infimæ fortis, prohibiti fuere à *Censuribus* vesci in aede Jovis, quòd concessum fuerat à *Numa.* *Ægrè tulere, ac tunc uno agmine Tibur concessere: cùmque reverti nollent ad plausum sacrorum; Tiburtini paratis epulis, quasi rem divinam facturi, illos muliebri habitu, ut compti erant, vino cibusque madidos, carpento Romam reportarunt, reddito prisco honore: mansitque ad posteros festa dies annua, ut eo habitu triduo vagantes per Urbem perque fora ac vicus cum cantu & tibijs incederent.* *Fusè*

Alexander Januæus eligitur in Regem.

Ejus servitia.

Exosus patri ex quo natus.

Dies VII. Jejunij Christi.

Jupiter Stator.

Idualia.

Ovid.

Unde Idus?

Horat.

Sacra.

Horat.

Insigne Dealis.

Ovid.

Tibicines habitu muliebri.